

**Disputatio inauguralis medica de procidentia uteri ... / submittit Magnus Masson.**

**Contributors**

Masson, Magnus, active 1681-1682.

**Publication/Creation**

Altdorfii : Literis Henrici Meyeri, [1682]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vvmvzfxr>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO INAUGURALIS  
MEDICA

3

*De*

PROCIDENTIA  
UTERI,

*Quam*

Divini Numinis Assistente,

PRÆSIDIO,

AUTORITATE & DECRETO

*GRATIOSISSIMÆ*

FACULTATIS MEDICÆ

*In*

INCLUTA NORIMBERGENSIUM UNIVERSITATE  
ALTDORFINA

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA honores

& PRIVILEGIA DOCTORALIA

ritè impetrandi,

*Publico Eruditorum Examine*

*submittit*

MAGNUS MASSON,

Stutgardia - Suevus.

*Ad d. 4. Maji, A. O. R. MDC LXXXII.*

---

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Acad. Typogr.

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

---

<https://archive.org/details/b30766588>

I. N. J.

Præfatio.

**D**urima sequiorem sexum manere mala quisquis dixerit, experientiæ suffragium reportabit : Proh quot miseræ excruciant fœminas molestiæ, quando lunare solvere debent tributum, siue profusam siue parcam nimis sentiant naturam ! Mox ubi fœcunda conceptionis aurâ tactæ fuerunt, universam et amorphosam patitur œconomia, pallet facies, cor trepidat, difficiles cum anhelitu gressus sequuntur, nauseabundus vel cibos fastidit ventriculus, vel denegatos appetit, vel noxios & absurdos inquirit, dolores ad hæc abdominis lancinantes ingruunt, viresq; pressæ fatiscunt, dum interea de fœtus incolunitate sollicitæ matres futurum mente præsumentes gaudium incommoda cuncta æquâ sustinent patientiâ. Accidit tamen quandoq; ut fœtus non expectatâ selesoyevia ante tempus ex ergastulo suo prorumpens spem eludat, vel demum in laborioso partu suffocetur. Et quis uteri mala cuncta recenseat, fœmineo generi plusquam familiaria? Probabiliter enim Hippocrates noster l. 2. de morbis mulierum in principio scripsisse videtur : Uterum omnium morborum causam esse, hunc enim ubi ex naturâ transmotos fuerit, morbos exhibere, siue ascenderit, siue descenderit. Ascendere equidem reverà superiora versus uterum eousq;, uti sibi imaginantur fœminæ, à veritate alienum esse Willisius & Anatomici alii demonstrant; descendere autem oculorum fides confirmat, atq; de postremo hoc uteri in situ morbo procidencia uteri communiter dicto, post exantlata examina specimen inaugurale Gratosissime FACULTATIS MEDICÆ indultu in præsentiarum dare constitui, nuncq; operi me accingens

DIVINI NUMINIS auxilium & assistentiam supplicem veneror? Sit ergo

THESIS I.

**C**Um explicatio nominis multum faciat ad rei perceptionem, juxtà sublimis Scaligeri Exerc. I. effatum, ὀνομασίαν in limine hujus Dissertationis præmittam, trita sic pressurus vestigia. *Procidentia* ergò uteri ratione etymologiæ derivatur à procidendo, cùm uterus procidat ac propendeat. Synonymiæ prolapsus uteri, præcipitatio matricis, descensus, item exitus & egressus matricis audit. Græcis *ἄρραχίσις τῆς ὑστέρας*, vel *περίπτωσης*, (quod generale nomen pathologicum esse, denotans morbum in situ vitiatò, quando pars quædam prolabitur extra locum suum genuinum, docet *Nobiliss. Excell. atq; Experientiss. DN. JAC. PANCRATIUS BRUNO, Philos. ac Med. D. hujusq; P.P. famigeratissimus, Patronus & Præceptor meus ad vitæ dies venerandus in Castello renovato p. 960.*) Germanis *das Ausfallen der Mutter / die Mutterseufung / oder ein Mutterbruch / oder der Vorfall* vocatur. Homonymia non occurrit alia, quàm quod procidentiam uteri propriè dictam nonnulli velint, ubi fundus; impropriè, ubi vagina saltem prolabitur; cui affinis est *Fernelii* subtilitas inter prolapsum ac descensum uteri hanc differentiam agnoscentis, quod in descensu in infimas partes uterus provolvatur, prolapsus verò gravior sit, quod everfus uterus foris procedat; ejusque fundus instar ovi promineat. Vid. *Roderic. à Castro l. 2. de morbis mulier. Sect. 2. cap. 16.*

II. Prælibatâ nominali, talem definitionem sive descriptionem realem nunc propono. *Procidentia uteri est morbus in situ depravato, à ligamentis uteri & peritonæi fibræ connexionem ejus aliàs præstantibus, nunc relaxationem, tensionem, vel solutionem passis proveniens, actiones familiares ledens.*

III. Pars igitur affecta est uterus, primum & commune nostrum omnium diversorium, qui in abdominis pelvi (illâ scilicet cavitate ab osse sacro & ossibus innominatis constitutâ, commodissimâ sive foetus conformationem & incrementum, sive denique ejusdem in brevis vitæ usuram exclusionem spectes, liceat verbis loqui *Nobilissimi, Amplissimi atq; Excellentissimi, DN. JOH. MAURICII HOFFMANNI, Philosoph. ac Med. D. Experientissimi, Facultatis Medicæ, b. t. Decani Spectatissimi, Promotoris atq; Præceptoris mei nunquam non omni honoris cultu afficiendi,*

di, atq; devenerandi, in Not. manuscriptis ad Job. van Horne Microcosm. §. 69.) situs inter vesicam & intestinum rectum tanquam duo pulvinaria collocatur. Substantiam obtinet membranaceo-nerveâ fibris rectis obliquis & transversis pertextam duabus aut tribus membranis interceptam, (ut necessariam tum extensione tum contractione admittere possit) vasis omnis generis, uti arteriis & venis à vasis semen præparantibus atq; hypogastricis, nervis ab ossis sacri ramulis atq; sextâ vel juxtâ Willisium octavâ conjugatione propagatis, demumq; lymphaticis dotatam; vid. plura apud Regn. de Græff. de organis mulierum c. 8.

IV. Figuram si spectes, extra gestationis tempus, pyrum juxta citatum modo Graffium, vel minorem cucurbitam sive corniculum juxta Riolanum *Enchirid. Anatom. l. 2. c. 38.* uterus repræsentat, in virginibus ante & retro aliquantum depressam, in iis vero quæ pepererunt magis rotundam vid. *Isbrandus Diemerbröck Anatom. lib. 1. c. 24.* Ast dein in gravidis uterus ita amplificatur, ut qui ante imprægnationem ossis sacri initium non supergreditur, fundus ejus, postea ad umbilicum & ulterius extendatur, ac totam pelvim non modo adimpleat, verum etiam intestina tenuia & reliqua viscera sursum comprimant.

V. Interim clarioris doctrinæ gratia merito uterus dividitur in fundum, cervicem & vaginam in pudendum muliebri terminatam. Fundus indigitatur pars elatior & latior, in brutorum genere cornua de se exporrigens flexuosa, qualia in humano sexu neutiquam observantur, nisi cum *Riolano l. c.* ligamenta, aut cum *Gerhardo Leonhard. Blasio in Notis ad Vesling.* tubas eo nomine compellare velis: Cervix constituitur, quâ parte ex latiore ambitu sensim angustior evadit fundus, eaque orificium uteri internum complectitur. A Cervice denique ulterius producit anteriora versus vagina, collum matricis aliis nuncupata, canalis mollis & laxior atque in orbem commeantibus rugis inæqualis. *Veslingius Syntagmat. Anatom. c. 7.*

VI. Ceterum uterus quia in decenti intra abdominis cavum posito detinendus erat, ligamentorum duo à providâ salutis magistra natura suscepit paria. Primum par faciunt ligamenta lata membranacea fibris rubicundis interdistingta, ab *Aretæo* alis vesperilionum assimilata, quæ à musculis lumborum orta atque juxta tubas ad fundum uteri decurrentia ipsum

ossibus ilei alligare creduntur, *Bartholin. Anatom reformat. l. 1. cap. 28.* Secundum par ligamenta uteri rotunda sive teretia nominantur, quæ à lateribus fundi uterini protensa extra abdominis terminos in pubem properant, pariterque uti vasa spermatica virorum processus peritonæi & tendines musculorum obliquè descendentium transeunt, atque in adipem ibi, membranasve ossium prope clitoridem tenuissimis fibris definunt; Horum usus est, ut fundum uteri laxè partibus anterioribus devinciant, nec simplicia tamen ligamenta videntur, cum præter membranam exteriorem succingentem minutissimarum arteriolarum & venarum compagem exhibeant, videatur *Fig. vasorum uteri Joh. Swammerdammi communicata Cl. Bartholino Anatom. l. 1. cap. 35. p. 294.* adeoque sanguini ad clitoridem adducendo vel expurgandis ad inguina excrementitiis quibusdam particulis inservire queant. Præterea vagina uteri anteriorius cum vesicâ & ossibus pubis, posteriorius cum intestino recto intercedentibus fibris membranaceis, à peritonæo dimissis, conjugitur.

VII. Et hæc, quæ ad præsentem tractationem requirebantur, de utero dicta sufficiant: Nunc tempus & ordo monent, ut in causas propositi affectus inquiram. Causam igitur proximam ac immediatam procidentiaæ uteri facio ligamenta lata, & fibras à peritonæo dimissas vaginam uteri vicinis partibus connectentes, itemque tunicam internam ipsius vaginæ, quæ relaxata vel tensa vel manifestam in rupturâ, itemque erosione obvenientem solutionem continui passa.

VIII. Causarum antecedentium sive mediatarum rationem habent ea omnia, quæ relaxationem, tensionem, rupturam aut erosionem uteri, ligamentorum, fibrarum, atque tunicæ internæ molliuntur. Hæ autem partes relaxantur (1.) paulatim ab humiditatibus pituitosis, unctuosiss, & præcipue serosis humidis per arterias & nervos affluentibus, vel sensim circa uterum ob dispositionem p. n. cachecticam, diuturnam mensium suppressionem, aut fluoré album collectis, aut propter pororum & meatuum uteri ex frigore incauté admissis, similibusve turbatum ordiné itemque propter vasa lymphatica obstructa subsistentibus; (2.) ex frequentiori post in gravidationem congressu; (3.) ex longiori in balneis humidis, aut supra frigidum lapidem sessione.

**IX.** Dein tenduntur nimium (1.) à graviore fœtus unius aut gemelli tempore gestationis onerosioris mole, uterum deprimente; (2.) à vehementiori corporis concussione in sternutatione fortiori, lapsu, saltu graviore &c. obtingere solito. (3.) à validiori corporis nisu in ponderis gravioris elevatione, magnâ vociferatione, aut fœtus difficiliore exclusione, secundinarum deturbatione, fœcumque alvinarum laboriosâ dejectione, item tenesmo &c. adhibito: (4.) à flatibus inter illa coërcitis rarefactis, amplius spatium desiderantibus.

**X.** Præterea ab iisdem causis sed majori cum impetu atque adauctâ vi agentibus eadem partes rumpuntur; quibus associanda venit audaculorum Chirurgorum & Obstetricum imprudentia, uterum in fœtus aut secundinarum extractione simul arripientium, dumque validius trahunt, ligamenta rumpentium, vel interiorem vaginæ tunicam rugosam lacerantium.

**XI.** Tandem jamdum nominatæ partes erosionem patiuntur, ab (1.) acrimoniâ humorum ad uterum affluentium, (2.) à prægresso diuturniore fluore albo, hunc enim subinde acrem & mordacem esse docet Batavorum Æsculapius *B. Sylvius prax. Medic. l. 3. c. 4. §. 10.* & exemplo mulierum tristium, in quibus acidum noxium continuo exuperat, probat *lib. 3. cap. 3. §. 413.* (3.) ab Apostemate, inflammationem uteri (aut propter sanguinem in vasis subsistentem, vel sæpius propter eundem extra sua vasa effusum ac corruptum exortam) sequente, aperto, sanguinemque acrem stillante. Huc sano sensu referre mihi liceat geminam observationem à *Cl. Harveo de Partu p. m. 352.* propositam; *Novi, is ait, fœminam nobilem à furore & Melancholia uterina ultra decennium delirantem; cui, postquam omnia frustra tentata essent, contigit uteri prolapsus: Vidi etiam aliam hystericis symptomatibus nulli remediorum generi cedentibus diu laborantem; quæ tandem post multos annos ab uteri decubitu sanitatem recuperavit. Uterus namque ab acri aliqua materia ad expulsionem vehementer extimulatus, non solum delabitur, sed (instar recti intestini à tenesmo molestante irritati,) seipsum foras præcipitat.*

**XII.** In causarum Procatarticarum ordine succedunt Res ita nuncupatæ nonnaturales, quæ præsentis malo ansam præbere ac suppetias morbificas ferre solent; hasque inter I. Aer frigidior ac humidior tempore fluxus menstrui incautè admissus, bal-



nea humida sæpius & diutius usurpata ; II. Alimenta hume-  
 rantia cum potu copiosiori adhibita ; III. Motus corporis ve-  
 hementior, de quo jam mentio facta in Th. 12. & alio respectu  
 quies ac otium nimium, cujus occasione *quia partes membranaceæ  
 & fibrosæ omnes effœminatâ quadam mollitie, laxitate, internaq; lu-  
 bricitate afficiuntur, ac excrementorum proventus affatim & ubiq;*  
*corporis succrescit, uti eruditè scribit Gualterus Charleton. Exercit.  
 Pathalog. VII. § 3. non mirum uterum eodem modo affici. IV.*  
 Vigiliæ immoderatæ peccare possunt, dum *fervorem quandam &  
 acrimoniam, ut cum Charleton l. c. §. 4. denuò loquar, sanguini  
 pariter ac succo nutricao inurunt, hacq; ratione inflammationi vel  
 exulcerationi uteri fomitem subministrant uberiores : Nec  
 minus somnus diutius protractus hîc accusatur, quo crudi & pi-  
 tuitosi succi ac omnis generis supervacanea facilè circa uterum  
 accumulari queunt. V. Excernenda retenta, uti menses, lo-  
 chia, aliiq; humores excrementitii, si diutius circa uterum  
 morentur, afflictioni nostræ januam pandunt. VI. Animi Pa-  
 themata mentem vehementius consternentia, e. g. propter fi-  
 liorum amissionem, hostium incessum, conflagrationem domus,  
 periculosam navigationem &c. exorta præsentem sæpius intro-  
 duxisse affectum ex fide experientiæ testantur *Rodericus à Castro  
 l. c. Lazarus Riverius Prax. Med. l. XV. c. 13.* Hisce addimus ad  
 classem rerum nonnaturalium meritò referenda Medicamenta  
 & Operationes Chirurgicas, ita docente *Viro Nobilissimo, Amplis-  
 simo, Excellentissimo, atq; Experientissimo, DN. MAURICIO HOFF-  
 MANNO, Seniore, Med. D. & in Almâ hac Prof. Primario Celeber-  
 rimo &c. Præceptore ac Promotore meo ætatem devenerando, in Sy-  
 nopsi Instit. Med. ex sanguinis natura Disp. 19. & 20.* VII. Igitur  
 hîc peccant medicamenta emollientia tam assumpta, quàm ad-  
 mota, *vid. Jac. Primerosius l. 2. de Morb. Mulier, c. 15.* item pur-  
 gantia atrociter colliquativa atq; acria ; & VIII. inter opera-  
 tiones Chirurgicas hîc accusari poterint procidentiam uteri ex-  
 citans foetus ac secundinarum extractio, imperitè atque  
 imprudenter administrata, nec non cucurbitulæ frequenter fe-  
 moribus admotæ, de quibus *vid. Primerosius loco allegato.* Tan-  
 tum de causis.*

XIII. Quibus subnectere placet differentias, circa uteri  
 prolapsum obvenientes, à parte affectâ, causis, symptomatum-  
 que

que diversitate profluentes. Nimirum ratione partis affectæ vel (1.) instar chirothecæ invertitur totus uterus, & foras prominet; quod in difficili partu, dum placenta ei firmiter adhæret, & ab imperitis obstetricibus nimium attrahitur, (quale exemplum Tubingæ ipsemet observavi) aliquando contingere posse, rarissime licet eveniat, sentit *Regnerus de Græff. de Mulier. organ. cap. 10. p. m. 272.* idem confirmante observatione 61. à *Petro de Marchettis in Observat. Medico-Chirurgicarum Sylloge* propositâ, aut si uteri substantia aliquibus de causis etiam laxa evaserit, *Isbrand. Diemerbræck. Anatom. lib. 1. cap. 24.* Interea procidentiam talem sarcasmo irridet *Th. Kerckringius Spicileg. Anatom. Observat. 20.* *parcant metu, inquit, Viri illi scil. Veslingius & Laurentius, parcant fœminæ ab illis persuasæ, quod uterus aliquando excidat; periculo omni, ne uterus excidat, posthac omnes liberamus, nemo vidit, nemo sentit, decepti omnes decipiunt alios, laxitas quædam colli, que extra pudendum prominet, hæc nobis fecit ludibria.* At enim vero licet facile sententiam tanti Viri assequar, & concedam colli laxitatem extra prominentem nonnullis Medicis imposuisse, inversionem tamé uteri tanquam impossibilem penitus rejicere nolo, qualem Viri in re Medicâ Doctissimi exactè cognoverunt, quos inter nominasse sufficiat *Andernacum & Riolanum à Primerosio l. c. allegatos, Carpum in Isagog. Anatom. Paræum l. 23. cap. 41. Hildanum Centur. 4. Observat. 60. 61. 62. Isbrand. Diemerbræck l. c. Paul Barbette Chirurgiæ Part. 1. c. 8.* (2.) Aliquando cervix & uteri osculum internû in sinum pudoris decidunt, & inversa vagina magis minusve prominet, quemadmodum ejus rei exemplum habet *Felix Platerus l. 3. Observat. Thom. Barthol. Cent. 2. histor. 91. & Centur. 5. histor. 9. Dominicus de Marchett. Anatom. cap. 7. vid. Regnerus de Græff. l. c. p. 270.* (3.) Quandoq; vaginæ tunica interna rugosa foras propendet, quâ relectâ fœtus gestatio tamen fieri potest, minimè vero, uti veterum quidam crediderunt, utero abscisso talis succedit. Et postremæ quidem binæ differentiæ sæpe simul obveniunt, uti factum in uteri procidentia illâ, ab *Harveo de partu p. 346.* descriptâ, utpote ex cujus tumore capitis humani magnitudinem excedente tandem infans spithamæ longitudine perfectè formatus, sed mortuus protensus est.

XIV. Ratione causarum distinguitur procidentia uteri, dum alia à relaxatione, alia à tensione, alia à ruptura, alia ab exulceratione producitur, sicuti in antecedentibus dictum est.

XV. His missis progredior ad *Signa & quidem Diagnostica*, quorum alia *partem affectam*, alia *causas* designant. Priora cum partim in sensus promptè incurrant, partim facile investigari possint, in iisdem eruendis multo labore haud opus habemus. Scil. si uterus totus inversus egressus fuerit, corpus instar cucurbitæ rotundum; magnitudine ovi gallinacei, vel anserini interdum struthiocamelini prominet. Si cervix & uteri osculum internum extra sinum pudoris promineat, in imâ tumoris mediâ parte, glandem virilem exactè repræsentante, foramen apparebit, è quo notante *Primerosio*, menses etiam profunduntur; si autem modò dictæ partes extra pudendum non penitus prorumpant, exiguus tumor intus percipitur, potestq; obstetricis digito tangi, & si afflicta fœmina recta steterit, grave quoddam pondus in pudendum incumbit: si sedeat, supina jaceat, alvum exoneret, intestinum rectum premitur, si prona jaceat, urinæ difficultas oritur. Si denique tunica interna saltem propendeat, ex rugositate, tenuitate molli &c. facile dignosci poterit.

XVI. *Signa Causarum* seqq. occurrunt: Si à relaxatione obveniat procidentia uteri, sensim generatur, minorem habet dolorem, pudendum humore madet, præcessit victus humidior, & effluxerunt purgamenta alba. Si à tensione producat, dolor gravativus in pectine, dorso & lumbis percipitur, gestatio onerosa existit, & violenta corporis agitatio prægressa est. Si à rupturâ malum ortum traxerit, repentinus dolor subitaneusq; prolapsus excitatur, quem sanguinis profusio concomitatur, & confirmant causæ antecedentes rupturam moliri potentes ab ægrotâ sciscitando inquisitæ. Si denique ab erosionem, fluor albus acrior prænuncius esse solet, dolores admodum acerbi & propter diurnam corrosionem perseverantes affligunt, ac sanies vel pus propter ulcerosam constitutionem effluit.

XVII. Pergo ad *Prognosin*, ubi notandum, si procidentia uteri à relaxatione in juvenis laudabilis constitutionis fœimnis origi-

originem habuerit, eam non tam periculofam, quam moleftam exiftere, fiquidem deambulationem impedit, menfium expurgationem & conceptionem remoratur: Imminere autem majus periculum, fi vel totus uterus inverfus exciderit, vel ruptura aut erosio in culpâ fuerit, vel procidentia inveterata extiterit, quia cancer, inflammatio, gangræna, hæmorrhagia uteri, motus convulfivi, aliaque graviora fymptomata cum primis in puerperis aut aliis cacochymicis fupervenire poffunt & folent, atque uterus repositus (uti alioquin in adultis) facile iterum excidit.

XVIII. Reliquum eft, ut ad *Curationem* procidentiaæ uteri debitam tranfeam; quæ fequentibus perficitur *Indicationibus*:  
*I. Ut remotis impedimentis uterus in locum nativum decentem reponatur. II. Idem in fitu conveniente fervetur, ac à futuro rursus prolapsu vindicetur. III. Ligamenta uteri ac peritonæi fibra firmitudini atque integritati reftituantur.*

XIX. Impedimenta repositioni remoram injicientia funt varia, leviora alia, alia graviora, frequentius autem occurrunt fequentia. I. Vefica ab Urinâ contentâ nimium diftenta, à quâ (nifi voluntaria mictione exonerari poffit,) mediante cathetere immiffio liberanda eft. II. Inteftina craffioribus fœcibus aut flatibus repleta, ad quorum educationem clyfteris emollientis & carminativi injectio proderit. III. Inflammatio uteri vel ejusdem partis propendentis, cujus compescendæ ac mitigandæ gratiâ (nifi vires prohibeant) venæ fectio in brachio præmitti debet, adhibito dein fotu vel balneo ex herbis malv. parietar. matricar. falv. Fl. sambuc. chamæmel. melilot. ros. rubr. vel albumine ovi cum ol. chamæmel. & rofac. applicato IV. Tumor flatulentus, ad cuius difcuffionem cum decocto carminativo ac digerente, (quale ex fol. organ. calamenth. Puleg. matric. abfinth. pontic. flor. chamæmel. aneth. stœchad. cum  $\nabla$ . addito pauco vino rubello paratum habet *Franciscus Ranchinus c. ultimo de morbis fubitanæis*,) uterus foveri poterit. V. Gangræna, quæ fi aliquam uteri partem prehenderit, applicandum Unguentum *Ægyptiacum* magiftrale *Hildani* cum melle rofaceo, vel scordium & alliaria atque marrubium in  $\dagger$ to acerrimo infufa; quod fi remediis Pharmaceuticis malum

cedere recuset, ad refectionem emortuæ partis accedendum est quam quidem adeò formidare non debemus, cum totum etiam uterum muliere superstite resecari posse *Paulus Rossetus* aliique quamplurimi (quos omnes recensere nimis prolixum foret) scripserint, teste *Primerosio*, idemque in muliere factum *Platerus* notaverit l. 3. menstruis postea per anum constanter sese expurgantibus. VI. Ulcus, per consolidantia, siccantia, acidum absorbentia, more recepto curandum.

XX. Sublatis ejusmodi impedimentis, ut primæ satisfiat indicationi, repositio uteri tentanda est. Collocetur igitur ægra supina clunibus elevatis & poplitibus reflexis, capite verò demissiore: hinc uteri vel vaginæ corpori linteum duplicatum vino tepido aut decocto acaciæ & hypocistidis madefactum applicetur, idque manu oleo mastichino aut adipe gallinæ inunctâ eousque sursum prematur, donec intra finum & proprium locum regrediatur. Tum cum manus res absolvi nequeat, blanda vi intrudatur baculus sinui respondens linteo liquore adstringente imbuto obvolutus, vel quod præstat, candela cerea in medio perforata, cui asa foetida aut castoreum fuerit admixtum, ex consilio *Hieron. Fabric. ab Aquapend. de Chirurgic. Operationib. pag. mibi. edit. Patavin 97. & Pauli Barbette Chirurg. part. 1. c. 8.* vinculo appenso relicto pro commoda extractione, tunc instituendâ, postquam per triduum & ultra intus remanserit.

XXI. Secundæ Indicationis partes ita expleri debent: Nimirum afflicta reclinata jubetur extensis ac coaptatis cruribus, ita ut alteri alterum incumbat, quietè decumbere, sibi que à clamore, rixis atque omnibus, quæ tussim aut sternutationem movere possent, prudenter cavere. Postea pessæ ex subere cerâ obducti, & funiculo quo revocari possint substricti, vid. *Ambros. Paræus Operum Chirurgic. l. 23. c. 41. p. 698. & seq. Franc. Rossetus de Part. Cesar. Sect. 6. c. 4. & 5. Guil. Fabric Hildan. Centur. 4. Observat. 61.* vel ex bombace aut linteo confecti ac decocto nuc. cupressi gallarum fumach. &c. cum  $\nabla$ . ferrariorum facto immergi vaginæ uteri immitti debent; quorum in locum substitui potest, ita me docente *Machaone nostro Excell. D. D. HOFFMANNO Seniore*, portio costæ balenæ in formam sigmoideam circumflexa ceræ intingenda; inserviunt etiam circuli crebriori usu

usu recepti, ex ligno buxco tornati, cerâque obducti, à *Job. Sculteto Armamentar. Chirurgic. Tab. 22. Fig. 6. & 7.* depicti, vel tales ex linteis ac stupa facti, in medio perforati Empl. Diapalm. cum asa foetida permixto intincti quales in adultis foeminis afflictionem præsentem diu perpeffis pro curatione palliativa præstanda per totum vitæ tempus commendari solent. Exterius regioni hypogastricæ & dorso applicare convenit Empl. barbarum, contra rupturam, ad hernias usitatum, vel adstringens à *Cl. Bârbette* l.c. itemque glutinans à *Roderic. à Castro de Morb. mulier. l. c.* & plura similia à *Primerosio* loco ante allegato descripta: Postmodum Zonam sive subligaculum Hippocratis, simile iis, quibus in rupturis utimur, gestare patientem juvabit, cujus figuram æmulam dedit *Scultetus Armamentar. Chirurgic. Tab. 43. Fig. 9.*

XXII. Tertiam quod concernit Indicationem, ei sequentem in modum satisfacere conabimur: Scil. si ligamenta ab humorum serosorum affluxu fuerint relaxata, affluxuræ portiones sunt evacuandæ per sudorem, ope Diaphoreticorum alkalinoꝝ siccantium & absorbentium excitatum, vel per diuresin à medicamentis  $\ominus$ inis volatilibus procuratam, vel per purgationem usu vulgò sic dictorum hydragogorum institutam. Quæ verò jamdum ad ligamenta affluerunt humorum serosæ portiones per medicamenta incidentia & attenuantia, cum uterini amico consortio nupta, tum corrigi tum per adstringentia & siccantia intus assumpta, e.g. pulverem adstringentem à *Laz. Riverio in Prax. l. 15. c. 13.* descriptum, cum decocto Guajaci vel vino austero propinatum, & exterius applicata in Th. præcedente laudata absumi, tum si menses substituerint, per emmenagoga expelli debent.

XXIII. Tensio ligamentorum cohibebitur causis illam efficientibus ab ipsa natura aut ab arte remotis, aut quantum licebit evitatis, alvo fluidiore redditâ, & carminativis pro flatuum discussione adhibitis.

XXIV. Ruptura ligamentorum quia cum sanguinis extravasatione conjuncta esse solet, primo postulat remedia sanguinem effusum concretum dissolventia, cum antepilepticis permixta, si læsi nervi suspicio adeoque motuum convulsivorum

metus adsit, quibus mox traumatica, hæcque inter laudatissima  
Essentia Traumatica *Cl. Wedelii* &c. subjicienda sunt.

XXV. Erosio ligamentorum curabitur, si medicamenta  
acrimoniam acidam contraria, alkalina terrea tantia  $\ominus$ ina vola-  
tilia & opiata, debito modo usurpentur, iisdem futurus affluxus  
humorum acrium cohibeatur, præsens verò corrigatur, cui finis  
inter alia suffimigia è thure ladano mastiche & santalis utero  
admittenda in fervire possunt.

XVI. Hisce verò omnibus Diæta exacta respondere de-  
bet, in legitimo rerum sex nonnaturalium dictarum usu confi-  
stens. I. Aer sit temperatus, serenus, orientis solis radiis illu-  
stratus, humidus autem suffimigiis ex mastich. thur. succin. fl.  
ros. rubr. aliisque siccantibus corrigatur. II. Cibi eligantur  
boni succi & facilis concoctionis, vitentur cruda,  $\ominus$ e condita  
fumo indurata, acida, flatulenta, & similia. III. Quies mode-  
rata præ motu admittatur. IV. Somnus cum vigiliis alternas  
sed potiores tamen obtineat vicés. V. Excernenda, uti men-  
ses, lochia, urina, alvus, ad naturæ leges urgeantur. VI. Ani-  
mi Pathemata concitiora, uti terror repentinus, gaudium  
profusum, ira, mœror diuturnus, quantum fieri poterit, evi-  
tentur.

XXVII. Et hæc de gravissimo affectu dicta hæc vice suffi-  
ciant! Nunc ora solvo in pias supremi Numinis debitas gratias,  
quòd præsentis opellæ divina suâ gratia clementissimè adfuerit  
studiorumque Academicorum speratum concesserit eventum.  
Te verò L.B. obnixè rogo, ut quæ paucis hisce pagellis compre-  
hensa legis, dextrè interpetreris, eamque erroribus gratiæ ve-  
niam des, quam optimi quique dormitanti interdum  
Homero indulgere solent!

S. D. G.



I.

**I**Nfelix *uterus!* species quem mille malorum  
 Tangunt, nî prostent mille salutis opes;  
 Vita caduca! domus cujus jam prima labascit,  
 Et ruptis fulcris præcipitata cadit.  
**M**A S S O N I valido fac ut sint robore fulcra,  
 Queis commune hominum nititur hospitium:  
 Gloria **T**E posthâc Medicâ suffulta manebit  
 Noticiâ, & Tua laus nunquam erit occidua.

*Bono omine plenus,  
 Nobiliss. DN. DOCTORANDO  
 Amico suo suavissimo  
 Industriae mox uberrimam in Praxi messens  
 adprecatur  
 & de felici stadii Academici decursu  
 gratulatur*

**J**OH. MAURICIUS HOFFMANN.  
 Phil. & Med. D. hujusq; Prof. Publ.  
 & Facult. Medic. h.t. Decanus.

II.

**Q**Ui morbis uteri contendis, *AMICE*, mederi,  
 non sequior tantum sexus, uterq;, **TIBI**  
 Multum debebit: *Civem servaveris unam?*  
*Cives servabis in simul innumeros.*  
*Civica quin igitur, quin & Phœbea, Corona*  
**T**E maneat, nullus, augure me, dubites.

*Nobiliss. Clarissimoq; DN. DOCTORANDO,  
 honores in Medica Facultate summos pro-  
 pediem expectandos animitus gratulaturus,  
 deproperabat*

**M. JOH. CHRISTOPH. STURMIUS,**  
 Phil. Nat. & Mathem. P.P.



Madrigal.



S bricht der Fleiß/ Stahl/ Mauren/ Felsen-Stein  
Nichts kan dem Fleiß unüberwindlich seyn ;  
Er bahnt die Ebbe mit der Fluth.

Kein Schweiß-Verdruß kan ihn verdrüßlich machen/  
Er muß der Müß und des Bemühens lachen/  
Wann ihm die Ehr weist das Belohnungs-Gut.

Er Wehrter weist daß durchzu-brechen sey

Was man ganz unzerbrechlich nennet.

Wir sagen daher ohn Scheu

Es hab Machaon Ihn für seinen Sohn erkennet.

Sein Lob gibt heut den Aufschlag dar : (Ehren

Ihm bricht der Mutter-Bruch die Bahn zum Purpur-

Die Mutter steter Ehr woll diese Ehr vermehren.

Mit diesem Wenigen wolten den Hrn. Doctorand. gratuliren

Herrn Dd. Castners sämtliche Tischgenossen.

IV.



S bringen im Mayen die liebliche Zeiten/  
Und was die Frühlings-Lust verspricht ;

Indem sie die Sinnen der Menschen bestreiten/  
Auch daß/ was uns noch mehr verpflichtet/  
Und als ein Vorspiel dahin zielt/  
So deine Verehrung zu mehrer bezieht.

Deswegen so bin ich auch einig bemühet/  
Was meine treue Pflicht gebent/  
Weil Zeiten und Glücke so wunderbarlich blühet/  
Daß mein Gemüth die Blumen streut/  
Die deine Freundschaft hat verdient/  
Bis Leben und Liebe nicht weiter mehr grünt.

Gott wolle die Ehren/ die Deine Verdienste/  
Nunmehr in vollen Maase sehn

Noch ferner mit steten vermehrten Gewinste/  
Mehr als bishero ist geschehn/  
Ja einen jeden Sonnenschein

Ins künftige lassen erfreulicher seyn.

Es müsse ein Wohlstand den andern begleiten/  
So trifft mein treues Wünschen ein :

Es müsse das Wachstum den Seegen bestreiten/  
So kan ich recht vergnügter seyn

Und so verbleibt die Zuversicht

Wir bleiben einander auf ewig verpflichtet.

Diese wenige Zeilen wolte dem Hrn. Doctorando, als seinem

allzeit treu gewesenem Freund und Bruder/ mit beifügen

Joh. Bartholome Cramer/ Med. Stud.